

humana: apud que
non est maximus
nec minimus
obtusus. **V. d. a.**
in fidei discipuli **10. d. i.**
Dado idem q. in fidei
noster laudis h. vobis
non implent cor d. in
silla.

Quod per d. in
noster h. i. i. i. i.
pre que n. i. i. i. i.
stomachum super
vbi aut h. i. i. i. i.
delicti: super
davit et gratia.

10. d. i.

10. d. i.



Thuris

3 VI

Lise, Aug. 00

Wegh. Ch. 2272

Jud.

E. 64.



ORATIO
DE EXERCITATIONIBVS

ORATORIIS ET POETICIS,
ad imitationem veterum, rectè
vtiliterq; instituendis.

Recitata à

NICODEMO FRISCHLINO,
in Academia Vuitebergensi.



VVITEBERGÆ

*Ex Officina typographica Cle-
mentis Schleich, 1587.*



ILLVSTRISSI-
MIS PRINCIPIBVS D.
ERNESTO, ET D. AVGVSTO,
Ducibus Brunſuicenfibus & Lunæburgen-
ſibus, Nec non & illuſtribus ac Generoſis
DD. D. Conrado, & D. Aluico, Comiti-
bus à Tubingen, Dominis in Lichteneck, D.
Franciſco Banſi Loſoncio, Comiti Debo-
cenſi, Hungaro : & D. Carolo, Baroni à
Limpürg, &c. D. item Vlrico Chriſtopho-
ro, Baroni in Scherffenberg, & D. Andrææ
Duditio, in Horouuiz, D. Michaeli For-
gacz Baroni in Gyμες & D. Andrææ Koch-
zyzki, Polono, D. Iohanni Libero Baroni à
Buchaim, Dominis ſuis clementiſſi-
mis, & benigniſſimis, Nico-
demus Friſchlinus. S.

PRÆFATIO.

FRunt fortasse, qui me reprehēdant, Illustrissimi principes, Generosi Comites, ac Barones clementissimi & benignissimi Domini, quod ego tot personis illustribus hanc vnicam Orationem, nuper recitatam, dedicem: & tot parietes de vna fidelia dealbem, sicut in veteri prouerbio dicitur, Ego verò, me ab omni reprehensione puto, non immeritò fore alienum, etiamsi plures huic vni orationi quæram patronos. Qui enim tot habeo hostes, & tot inimicos innocens, quomodo sim culpandus, si multos & bonos mihi comparem amicos, ac patronos vndiq; , vt eorum præsidio, contra multos malos, & maleuolos, me meaq; omnia tuear, ac protegam? Nihil enim à me ferè proficisci potest, etiam rectissimè dictum & scriptum, quod aduersarij mei non teterrimè calumnientur. Vel hæc exercitandi ratio, qua nunc olim sum vsus, in instituendis ingenijs, meæ fidei, meæq; fiducia commissis, quam obsecro, atrociam in me excitauit aliquorum odia? quam crudeles mihi

A 2

confla-

conflauit inimicitias? Sed fit tamen, nescio
quomodo, vt in hanc ipsam arenam, vbi tam
sæua accepi ab inuidia, & odio malorum
hominum, vulnera, denuo descendam ac
toties ictus piscator, ne nunc quidem sapi-
am. Libet enim mihi Telephum illum mihi
imitari, qui ab eadem hasta, à qua vulnus
acceperat, remedium petijt. Conscripsi
nunc olim tres de arte oratoria libros: in
quorum primo docetur, quomodo argumen-
tis proprijs, seu oratorijs, & cum re ipsa na-
tis, confirmanda, aut refutanda sit oratoria
propositio, siue causa: quæ est aut forensis,
vulgo dicta Iudicialis, aut senatoria, siue de-
liberatiua; aut popularis, siue demonstrati-
ua. Aristoteles inuerso ponit hæc ordine, &
rectè. Nam facilius est laudare aut vituperare,
quam consultare: facilius item suadere,
& dissuadere, quam accusare aut defendere.
In secundo libro, ostenditur, quomodo ex locis
Dialecticis, & cuius materiae communibus,
quoduis argumentum confirmationis, aut
refutationis, sit illustrandum, & amplifi-
candum. Qua quidem re efficitur oratio,
non tantum vera, sed etiam copiosa. Nam
hæc

hæc vtraq; ad fidem faciendam præcipuè
pertinent. In tertio libro docetur, quomodo
probata & amplificata sint exornâda lumini-
bus sententiarum, verbi gratia, interrogatio-
nibus, subiectionibus, repetitionibus, excla-
mationibus, & luminibus verborum, nempe
Metaphoris, & omnis generis tropis. Nam
in his duobus consistit omnis motus oratio-
nis. Atq; hi libri ita sunt à me concinnati,
vt eorum adminiculo possis quamuis orati-
onem resoluerè, & resolutam iterum com-
ponere, aut consimilem aliam scribere.
Quàm autem malam retulerim gratiam,
pro his libris meis, quis est tam ignarus
fortunæ meæ, vt nesciat? Nullum est
conuicij genus tam atrox, quod inuidi ac
maleuoli homines, in me publice ac priua-
tim non conijciant: nullum scelus, nullum
flagitium tam horribile, cuius illi me non
reum agant: nullum genus periculi atq; æ-
rumnæ tam miserabile, quod ego pro opti-
mis meis meritis, non sim indignissimè per-
pessus. Hoc autem cuiusmodi sit, nemo
prius intelliget, quam scriptum illud me-
um, de quo dixi, perlegerit. Rogo igitur

A 3

&

& suppliciter oro vos, Illustrissimi principes, Generosi Comites ac Barones, ut suspenso omni prauiudicio, habeatis & me, & mea studia, cum omnia, tum imprimis Oratoria haec, vestro fauori, vestroque patrocínio, si non diutius, at saltem tantisper commendata, dum propediem victrix causa triumphet. Pluribus haec à vobis peterem, nisi certus essem, quæ sit animorum vestrorum pietas in DEVM, qui amor erga literas, quæ humanitas in literatos, quæ bonitas in afflictos, quæ virtus in omnes. DEVM Opt. Max. rogo & obsecro, ut is, in vestris commodis ac studijs provehendis, talem se exhibeat, qualem multiplex vestra virtus promeretur. VVittebergæ VIII. Iduum Decembris, 87.



ORA-

ORATIO.



ETSI VEREOR, Magnifice D. Rector, Illustrissimi Principes, Generosissimi Comites ac Barones, viri pietate, sapientia, doctrina, & virtute prestantissimi, Doctores & Professores clarissimi, auditores nobilissimi, humanissimiq;, Etsi vereor, inquam, ne me pleriq; vestrum temeritatis arguendum putent: quod in hunc amplissimum dicendi locum venerim, qui neq; publica auctoritate sum armatus, neq; ad docendum in hac celeberrima & laudatissima Academia, à quoquam vocatus, neq; ad hanc ipsam rem, de qua verba facturus sum, propter istud tempus meum, satis instructus, tum insuper ad hanc quoq; orationem, quam non ad vos omnes, sed ad paucos tantum, & eos precipue, qui sua apud me nomina professi sunt, recitare constitueram, valde imparatus: tamen non parum me recreat in his difficultatibus, tum loci huius conditio, tum

A 4

Acade.

Academia ipsius ratio, vñm verò in primis
animorum vestrorum erga me equitas atq;
humanitas. Nam si loci huius amplitu-
dinem considero, quæ fortè aliquem à dicen-
do magis deterrere, quàm huc inuitare pos-
sit, video ego ex hac ipsa cathedra, tanquam
ex fonte quodam Hippocrenes, illa ipsa stu-
dia eloquentia, de quibus dicturus sum,
nunc olim promanasse, & hinc ad varias
gentes, variosq; populos, in multas regiones
& vrbes, per magnum illum Germania
nostræ Apollinem, Philippum Melantho-
nem, transmissas, ac propagatas fuisse.
Schole verò eam rationem esse intelligo, vt
nulli docto & artium illarum perito, quas
Philippus ille, è Barbarico cæno prius ex-
emtas, & è densissimis superiorum tempo-
rum tenebris erutas, in clarissimam lucem
protulit, interdictum sit, publicè priua-
timq;, easdem explicando illustrare, aut po-
tius illustrando explicare. Sed & pro-
cerum laudatissima & inclyta huius schole,
quos D E V S Melanthonij thesauri, in hac
Academia depositi, custodes esse voluit,
animaduerto talem esse tum erga omnes
bona-

bonarum artium, tum imprimis erga me etiam equanimitatem ac benevolentiam, ut ad eam nihil ferè amplius possit accedere. Quomodo igitur non alacriter dicam de re oratoria, ex hoc loco, unde tot pulcherrimæ orationes, à Philippo Melanthono, de eadem materia, sepe numero, tum sua ipsius, tum aliorum voce recitatae sunt? quomodo non hilari & excitato sim animo, qui in hoc laudatissimo tot doctissimorum virorum cætu, aliquos intueor, qui viventem adhuc Philippum, & suavisimè modulantem Philomelam totius Germania, suis auribus audiuerunt? O verè beatam hanc cathedram, quæ tantum in paruo corpore virum, capere potuit, cuius laudes non capit uniuersa Germania, ac ne uniuersus quidem terrarum orbis? O aureum illud seculum, quo triumphum iste linguarum Phœnix, & restaurator ac repurgator omnium artium & disciplinarum liberalium, vixit & viua voce hunc amplissimum locum impleuit? O felices illos, quibus illius ora tueri contigit, & veras audire ac reddere voces. Non despero, quanquam hominum animi incipiunt languescere, & studia

dia nostra liberalia paulatim in antiquam
Barbariem relabi, ac retro sublapsa referri,
fore adhuc aliquos, quibus vel propter hunc
locum, è quo primum in Germania reuixe-
runt artes, vel propter Philippum, per
quem suis illis vigor restitutus est, hæc stu-
dia non modò grata sint, sed etiam cura il-
lorum & summo favori, patrocinioq; com-
mendata. Nam sæpe fit, ut quarum nos
rerum non mouet utilitas, earum tamen
specie & voluptate capiamur, præsertim si
è locis longinquis, & ex regionibus dissitis,
atq; etiam à caris amicis, nobis offerantur.
Quantò igitur magis hæc studia, quæ nobis
in hac celeberrima Academia per manus
Philippicas tradita, atq; ad hunc usq; diem
conseruata sunt, nos afficere, nobisq; grata
esse debent? Docti enim non solum viui, ac
presentes, studiosos discendi erudiunt, atq;
docent, sed hoc idem etiam post mortem,
monumentis literarum assequuntur. Et
quomodo veterum ac recentium quorun-
dam libri, non perinde nobis cura sint, ut
fuere nostris maioribus: quando illorum
usus hodie non minor est, atq; olim fuit?
Nam

Nam ut de Oratoria solum arte dicam (propter hanc enim omnis hac mihi instituta est oratio) si ad effectum illius respicias, qui certe nihil est aliud, quam docta, diserta & elegans, proprijsq; verbis & grauibus sententijs, ornata ac perpolita oratio: quis, queso est omnium, qui non intelligat, quantum possit eloquentia in obcundis legationibus, in exponendis Senatus populiq; mandatis, in habendis concionibus, in moderanda plebe, in regendo senatu, in exturbandis improbis ciuibus, in seditionum repressu, suasionem & dissuasionem legum ac statutorum, exornatione funerum, laudationibus, causis publicis, periculis ciuium, consiliorum tractatione, militum animis vel comprimendis, vel concitandis, in omni re deniq; que explicanda sit verbis, ornanda sententijs, illustranda oratione? Sed quando de hac re saepe dictum est ex hoc loco, & saepenumero grauissimis orationibus, ab huius scholae Professoribus, commonstratum, quae tum ipsius artis, tum Eloquentiae, quae quidem ex illa acquiritur, sit magnitudo, dignitas, utilitas, necessitas: nolo ego de rebus his, qua-

rum dubitatio non est, hoc loco dicere. Cur enim apponam vobis cramben recoctam? cur actum agam? cur id edoceam, quod nemo ignorat? cur Oratoriam artem laudem, quae ipsa semetipsam commendat, & quam nemo prudens, nemo sapiens, nemo vir bonus, unquam vituperandam esse censuit? Si enim homini nihil melius datum est à Deo immortali, quam mens atq; sermo, ut quae homo mente concipiat, verbis cum alio communicare possit: facile intelligitis, eum, qui ambo haec diligenter excoluit, tanto perfectiorem ac meliorem esse, rudibus & incultis hominibus, quanto ceteris animantibus, homo dignior est atq; prestantior. Et quantum ad mentem attinet, excolitur illa, in hac literaria Republica, studijs optimarum doctrinarum: ut est studium Theologiae, ut Iurisprudentiae, ut Medicinae, ut Philosophiae, ut Historiae, ut Poëticae, ut Mathematicum. Nam hinc rerum optimarum, & saluberrimarum cognitione animus noster imbuitur: ut sciamus, quid sentiendum sit de Deo, eiusq; vero cultu, quid de Ecclesia, quid de scriptis Prophe-

Propheticis & Apostolicis, quid de Republi-
ca, de Iure & legibus, de premijs bonorum
& pœnis malorum, quid de morbis, deq; il-
lorum remedijs, quid de natura rerum, de
calo & astris, de herbis & plantis, de varijs
animalibus, quid de vita, de moribus, de
varijs hominum actionibus, de consilijs, co-
rumq; progressu & euentu, deniq; etiam de
notitijs, quarum adminiculo, homo rationis
particeps, perspicit, quid in una quaq; re
verum sit, quid consentaneum cuiq;, quid
consequens, quid contrarium, Et quanquam
in has res multi hodie totis mentibus atq;
animis, sibi insistendum putant, ut earum
sibi comparare possint notitiam (quod qui-
dem nos studium, ut per se honestum & lau-
dabile, haud quaquam reprehendimus) Ta-
men nisi etiam sermo, quem & ipsum homi-
ni Deus, præ cæteris animantibus, concessit,
ad res, quæ in mente atq; animo hominis
concipiuntur, accedat, frustra est, quod
multum studij ac multum laboris & im-
pensarum, consumimus, in acquirenda re-
rum omnium, quas dixi, sola cognitione.
Quò enim per immortalem Deum proficit
optima-

optimarum & maximarum rerum scientia,
nisi possis, qua tecum sentias, verbis idoneis
proferre, & animi tui conceptus commodo
orationis genere explicare? aut quid pro-
dest ut rectè quis sentiat, si id, quod sentit
polite eloqui non possit? aut quò confert
multa scire, & nihil posse dicere? aut etiam
multa dicere, & nihil commode? Garrire,
hoc est potius, & inani verborum strepitu,
aures hominum obuerberare, quàm animos
auditorum afficere, & scientie tue partes
aliquas, veluti aculeos quosdam, aliorum
mentibus insigere. Quod cum ita sit,
proposui mihi non de Eloquentia, sed de mo-
do & via, ad illam perueniendi, in presen-
tia dicere. Ea autem cum omnino du-
plex sit, una qua arte oratoria traditur, al-
tera qua exercitatione comparatur & stylo,
qui quidem dicendi magister est: ut Quin-
tilianus ait: Ego priori omissa, de posteriori
tantum ad vos verba faciam. Nam quod
ad artem attinet, ea à Philippo Melantho-
ne, duobus libris ita comprehensa est, ut
nihil in hoc genere, ex recentium scripto-
rum, praesertim ex nouellorum quorundam,
Rhetor-

Rhetorum libris, extet perfectius, nihil absolutius. Eadem quoque ars haec ab huius Academiae Professoribus ita traditur, & exemplis illustratur, ut si quid velim ego ad istam docendi rationem afferre amplius, non immerito dici possim, NOCTVAS ATHENAS. Quantum vero ad exercitationes attinet, quanquam ne his quidem studiosa iuventus hic destituitur, quia tamen in magna auditorum frequentia multi sunt, qui excolendo sermone plus operae & laboris ponere cupiunt, quam alijs studijs, non putavi ego, rem me illis facturum ingratam, neque inutilem, si ad conatus eorum iuuandos ac promouendos, aliquid meae quoque operae atque industriae conferrem. Hoc autem quale sit, & in quibus rebus consistat, paucis aggrediar dicere. Est enim exercitatio omnis, tam Oratoria, quam Poetica, ferè nihil aliud, quam quaedam bonorum auctorum imitatio, & similium operum cum alijs effectio. Is enim optimè censetur imitari aliquem auctorem, qui illi est in componenda oratione simillimus, non tamen idem. Nam eundem esse cum alio, non

Ex n. u. tu
No qm. d. u.

Quot
libri.

Quid
exercita
ti.

non est imitari, sed furari, & omnino pla-
gium committere. Harum verò exercita-
tionum duo sunt genera: Vnum, præexerci-
tamentum, Grecis προγυμνασια: quasi
præludium quoddam: qualia sunt Aphtho-
nij Rhetoris, & Theonis Sophiste Progym-
nasmata: alterum verò genus, est exerci-
tatio Oratoria & Poëtica, quæ in scholis
vulgo appellari solet **DECLAMATIO**.
Ut enim in bello, ubi iam ad arma perven-
tum est, non statim pugna inicitur, neq; mox
omnis exercitus in aciem educitur, sed equi-
tes ac velites, quædam inter se miscent præ-
lia, & vires inuicem virtutemq; explorant:
ita in arte Oratoria, non statim ad Decla-
mationes veniendum est, neq; omnia præ-
cepta artis, vno quasi momento, simul in
usum traducenda: sed initio quædam quasi
velitationes ingeniorum præmittenda, &
singularum, quæ in arte sunt, præceptio-
num usus monstrandus est. Nam sicut
pueri in arte Grammatica, priusquam ver-
ba & Nomina, eorumq; Syncategoremata
discant, per Regulas Syntaxeos coniungere,
docentur simplices primum voces variare:

ita

ita omnino etiam in arte Oratoria, rectè
exercitanda, faciendum est, ut singillatim
proponantur quadam transferenda in u-
sum, donec oratoriae studiosus, rectè doctus,
tractare partes orationis Rhetoricæ, tan-
dem etiam possit orationem tractare inte-
gram. De harum autem exercitationum
ratione, tam in Pœtica, quam in Oratoria
facultate, iustè & cum fructu discentium,
instituenda, dum breuiter & perfunctorie
magis, quam oratoriè dico: Oro te Illustris-
sima & clarissima, nobilissimorum & do-
ctissimorum hominum corona, beneuolè me
balbutientem magis, quàm perorantem au-
dias. Nam in hoc argumenti genere tra-
ctando, magis scholastico, quàm Oratorio di-
cendi genere, mihi utendum est; & omni-
no à consuetudine forensi recedendum.
Non enim hic causam agemus coram iudice,
sed modum iuuentuti ostendemus, & vi-
am, qua studiosi oratoriae incedentes, pos-
sint eum finem inuenire, quem quarimus,
Nam quod Manilius de arte Astronomica
dixit, hoc nos idem etiam de nostra hac
via dicere possumus: Ornari res ista ne-

B

quit,

Significata
sub hinc
et
vulgarum
imitatio.

verba sim
phrasia.

in vobis
phrasibus
tenuenda
dno.

quid, contenta doceri. Tria autem cum sint
spectanda in omni exercitatione, siue imi-
tatione, nempe verba, sententia, & facta,
siue exempla nos de verbis prius agemus.
In quo ignoscent mihi doctiores, si quedam
repetam, qua iam antè nota sunt omnibus.
Hæc autem duplicia sunt, vel simplicia, ut
nomina & verba, & horum Syncategore-
mata, de quibus in Grammaticis: vel con-
iuncta: quorum illa à Grecis λέξεις, hæc
phrasès dicuntur. Sed ambo hodie in lin-
gua Latina, ex usu loquendi & familiari
consuetudine euauerunt: ita ut neq; ver-
ba Latina, neq; eorum phrasès, ulli iam gen-
ti sit materna atq; vernacula. Conser-
uauit tamen ea nobis DEVS in bonis au-
ctoribus, qui rectè & emendatè locuti sunt,
siue sint Oratores, siue Historici, siue Philo-
sophi, siue Poëta. Quorum è libris cum
sermo Latinus omnino sit discendus: nobis in
tractatione & obseruatione verborum, tam
simplicium, quàm coniuñtorum, duo hæc
spectanda sunt: Proprietas, & usus loquen-
di. Nam & propria oportet esse verba &
omnino illius rei, quam concepisti animo,
qua-

quaedam quasi symbola, quae genuinam eius,
& propriam naturam exprimant. Sed
quoniam Latini scriptores, in verborum
structura non sunt conformes, sed alij alijs
locuti sunt tersius, venustius, elegantius,
quidam etiam magis proprie, quam alij:
iccirco ante omnia, in verbis delectus qui-
dam est habendus. Nam in phrasi Poëta
ab Oratore longissimè recedit. Etsi enim
Poëta quoque propria habent vocabula, &
eandem omnino cum Oratore rerum No-
menclaturam, & eadem fere verba ea-
demque Nomina, atque etiam Syncategorema-
ta: tamen in phrasi & structura sermonis *stij in*
plurimum differunt. Sape enim Meta-*antony*
phoris utuntur remotioribus, & improprie *disphus*
aliquid dicunt, quod Oratori non sic liceret
dicere. Quis enim Orator ita loqui velit:
Tuis Regina labor est, quod optes explora-
re: mihi fas est iussa capessere. Tu enim
concilias mihi quodcumque hoc regni est, tu
sceptra, tu Iouem: tu das accumbere Di-
uum epulis? Etsi enim numerorum vincu-
la his verbis adempta sunt: tamen non ubique
servata est in his, à Poëta, proprietas. Nam

B 2 sic

Oratorum

sic dicet Orator: Tuum est regina, imperare mihi, & omnino explorare, quod per me tibi effectum velis: meum verò obtemperare, & qua tu iusseris, summo studio, totaq; animi mei contentione exequi. Nam hoc regnum meum, quodcunq; est, id totum mihi tua virtute partum est. Tu enim hoc sceptrum mihi dedisti: tu Iovem mihi conciliasti, atq; ita conciliasti: ut illius quoq; epulis nunc assidere possim. Nam, queso vos, per immortalem Deum, annon ridiculus sit Orator, qui Ovidium imitari velit ac dicere: O tu edax rerū tempus, tu vetustas odiosa, qua destruitis omnia, & omnia cui dentibus vitiata, paulatim lenta morte consumitis? Ita enim Cicero dicit: Nihil est tam firmum, quod non aliquando conficiat atq; consumat vetustas. Quam item ridiculus Historicus, qui suam historiam nullo adhibito delectu, sic ordiatur? Aggredior arma canere, & virum illum, qui primus ab oris Troia venit in Italiam, & Lauinia littora. Sic enim Salustius incipiat: Bellum maxime memorabile scripturus sum, quod Aenea duce, Troiani in Italiam

Aristoteli
Cornum.

liam delati, contra Rutulos, & eorum re-
gem Turnum, varia fortuna gesserunt:
&c. Atq; hæc non eò profero, ut adolescen-
tes velim à lectione Poëtarum deterrere,
quò illos maximè inuitare cupio: sed ut o-
stendam illis, quomodo imitandi sunt Poë-
tae: nempe adhibito verborum delectu.
Non enim omnia Poëtarum verba sunt
Tropica, aut figurata, aut impropria, sed
quædam tantum: pleraq; verò propria: qui-
bus si numerum demas, planè erunt orato-
ria. Itaq; Persius in prima Satyra illos val-
dè reprehendit, qui affectatè scribunt, & ni-
hil propriè dicunt in carmine. Quàm enim
stulta hæc sunt, quæ ibidem ridet Persius:
Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem manas flexura corymbis
Euion ingeminat: reparabilis assonat Echo.
Portenta verborum, & monstra phraseon:
quæ quia non possunt intelligi, debent ne-
gigi. Quò enim sermo Poëta est cla-
rior, & proprietati cognatior, eò melior,
eog; suauior. Non igitur nihil imitandum
est Oratori in Poeta, quia non omnia. quod
ut intelligant iuniores (cum his enim mihi.

iam negocium est, non cum doctioribus) das
bo huius rei exemplum. Virgil. 2. Aeneid.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela, nec vllas
Vitauisse vices Danaum: & si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu.

Deme hic numerum, & multa habebis pro-
pria, multa quae ipse Cicero non dixisset ali-
ter. Testor vos Troiani cineres, te extre-
ma meorum flamma, me nulla hostium tela,
nullas in occasu vestro vices vitauisse, & si
ita fata tulissent, ut caderem, manu me-
ruisse. Vide enim quomodo Cicero hoc
ipsum dicat, in oratione pro Sestio: Vnum
(inquit) mihi restabit illud: quod forsitan
non nemo vir fortis, & acris animi magniq;
dixerit, Restitisses, repugnasses, mortem
pugnans appetisses. De quo te, te inquam,
patria testor, & vos Penates, patrij^{q;} Dij,
me vestrarum sedium templorumq; causa,
me propter salutem meorum ciuium, quae
mihi semper fuit mea carior vita, dimica-
tionem cademq; fugisse. Nam quid aliud
dicit sub persona Aeneae, ad Didonem lo-
quentis, Virgilius, si numerum versibus adi-
as, quam hoc? Vos, vos inquam, cineres
Troia-

Troiani testor, & vos penates patrūq; Dī
me vestrarum sedium templorumq; causa,
nullas hostium vices, nulla tela deuitasse:
& si tum in fatis fuisset, ut mortem pu-
gnans oppeterem, hac, hac inquam, manu
istud promeruisse. Erasmus certe Rote-
rodamus, quamlibet Orator copiosius & ele-
gans, hoc tamen discrimen in selectu verbo-
rum, non ubiq; seruauit. Itaq; saepe Poeti-
cas phrasas saluta orationi admiscuit. Sed
reprehendit hoc antiquissimus lingua Lati-
na auctor, vir Graecis literis & latinis eru-
ditissimus, ut à Cicerone appellatur, M. Te-
rentius Varro. Ita enim lib. 8. de ling. Lat.
Orator, inquit, non debet in omnibus uti,
quod sine offensione non potest facere: Cum
Poëta TRANSILIRE LINEAS im-
punè possint? Non possum hoc loco mihi
temperare, quin accusem quorundam iner-
tiam. Nam multi sunt, qui expetunt qui-
dem hanc quam dico, verborum proprieta-
tem, & nihil optant magis, quam ut con-
cepta animi possint idoneo & proprio, cumq;
ipsis rebus nato, sermonis genere efferre:
interim tamen neq; ipsi legunt probatos au-
ctores,

Ad Comp[ar]ationem, Etiores, ut hanc sibi verborum proprietatem
vidam inde comparent, neq[ue] ea, quae à me & alijs
liberum inde, tanquam è penu depromuntur, mul-
propria tum curant, sed ne legere quidem dignantur.
tum regn Tum quando aliquid latinè vel dicere, vel
scribere scribere coguntur, destituti proprijs verbis,
herent herent tanquam mures in pice. Ibi de-
him mum haec eorum oratio: magna est voca-
bulorum bulorum penuria, magna inopia: plures
enim enim sunt res, quam verba. Nam quis au-
tor Etor Latinus, hanc rem suo nomine proprio
nominavit? Et profecto non omnino fallun-
tur: cum nihil sit quod orationis cursum
magis magis impediatur, quam priorum verbos-
rum rum defectus. Sed miseri dum conquerun-
tur tur de orationis paupertate, interim non
vident vident ingeniorum suorum curtam supel-
lectilem. Annon enim Adrianus Iunius
tibi tibi Nomenclatorem dedit locupletissi-
mum? Annon post Iunium ipse tibi dedi tri-
linguem linguem Nomenclatorem, in quo habes ul-
tra tra tredecim millia Graecorum & Latino-
rum rum vocabulorum? Et tu qui millia non
dum dum tenes memoriter, adeo iniquus es La-
tinis tinis literis, ut in scholam venias oratori-
am, am, &

am, & Nomenclatore vel meo, vel Iunij
non instructus, ausis accusare paupertatis
atq; inopia, linguas tam diuites? Sed ve-
nio etiam ad alterum caput, quod in verbis
obseruandum dixi, quod est usus loquendi,
in probatis auctoribus. Eum Philippus
noster appellat sermonem Grammaticum.
Et quanquam Fabio teste, non idem est La-
tine loqui, quod est Grammaticè: quia ta-
men Latina oratio è libris hodie solis per-
discitur, non malè dicitur sermo Gramma-
ticus, qui est sermo Latinus. Pugnant
autem cum hoc usu sermonis verba obsole-
ta, & usu antiquata, ut sunt Enniana, Pac-
cuiiana Cecilianana, Acciana: qualia sunt
mis pro mei, tis pro tui: Verba item NO-
V A, ut amantote, docentote: Deniq; verba
BARBARA, & nostris quibusdam scri-
ptoribus valde usitati Germanismi. Hic
ego vos omnes quotquot tum honoris mei
causa, tum discendi studio, adestis, vos, in-
quam, vos omnes oro, & per Priscianum
vapulantem obtestor: benignè ut aures de-
tis mihi: & ignoscatis, si quid liberius in
homines obstinatos, & de manifestis erro-
B s ribus

Friginii,
da. 1.

ribus conuictos, in medium breuissimè pro-
tulero. Quàm enim studiosè sermonem
Grammaticum futuro oratori commendet
Philippus: quàm operosè hoc ipsum toto li-
bro primo agat Quintilianus, hoc nemi-
nem vestrum latere arbitror. Quæ igitur
tandem amentia est, crucem efferre mascu-
lino genere, in arte Grammatica: quia En-
nius dixerit: Magno cruce? quæ fatuitas,
dicere, stirpe antiquo, quia Aëtius dixerit
stirpe supremo? quæ pertinacia, contra o-
mnem latini sermonis consuetudinem, dice-
re proba homo, docta homo? quæ impuden-
tia obstinatorum Grammatistarum huius
temporis, quod dicunt verbalia nomina in
A esse utriusq; generis tam fœminini,
quam masculini, ut sunt scriba, lixa, ra-
bula, verna, pincerna, collega, auriga, ad-
uena, incola, indigena, terrigena? Nam
quis vestrum est, qui ista legerit unquam
cum fœminino Adiectiuo posita & constru-
eta, apud ullum bonum scriptorem? Sed
prestat audire veteres, quando nonnulli
Grammaticuli, istas sordes in scholas Gram-
maticas hodie reducunt, & nobis Latini ac
Cicero-

Ciceroniani sermonis mundiciem malitiosè
conspurcant. Sic enim Quintilianus lib.
1. cap. 6. Auctoritas ab oratoribus vel *Logandi n*
historicis peti solet. Nam Poetas metri ne- *lib nō nō*
cessitas excusat: qualia sunt imo de stirpe *hōmō d q*
recisum. Idem Quintil. lib. 8. cap. 6. In
illo, inquit, plurimum erroris, quod ea quæ
Poetis permissa sunt, conuenire quidam et-
iam prosæ putant? Nam Poeta & omnia ad
voluptatem referunt, & plurima vertere
etiam ipsa metri necessitate coguntur. Idem
lib. 10. Meminerimus non per omnia Poe-
tas esse oratori sequendos, nec libertate
verborum, nec licentia figurarum. Seruius
quoq; in illud Virgilij, Aut oculis capti po-
suere cubilia talpa, Mutauit GENVS,
nam hac talpa dicitur. Idem in fine 3. Ge-
orgicorum in illud: timidi damae ceruiq;
fugaces, MUTAVIT GENVS: ut vi-
taret ὁμοιοτέλευτον. Nam Horatius fœmi-
nino genere posuit dicendo: Et superiecto
pauide natarunt, æquore damae. Cur igitur
dubij generis dicamus in Grammatica, quæ
sunt generis certi? cur promiscui quæ sunt
distincti, siue discreti? cur generum duo-
rum.

rum, quæ sunt generis unius tantum? Nam
quis probatus auctor, dixit parus cristata,
galerita, montana? quis nominibus anser,
passer acipenser, legit fœmininum Adiecti-
uum à probato scriptore additum? Rectè
igitur Scaliger, in libro de causis linguæ La-
tinae cap. 79. ostendit, quòd veteres pro-
miscuum genus negligentissimè inuexe-
runt. Et quis est omnium tam remotus à
litteris, ut nesciat quid Virgilius, quid Ho-
ratius, quid Persius, quid Martialis, Poetæ
de obsoletis & antiquatis verbis & phra-
sibus senserint? Nam quis nescit Virgili-
um cum interrogaretur, quare Ennium le-
geret, respondisse, aurum se querere è ster-
quilinio. Quin verò & Horatius de Ennio
& antiquis: Ennius (inquit) & sapiens,
& fortis, & alter Homerus, ut Critici di-
cunt, leuiter curare videtur, Quò promissa
cadant, & somnia Pythagorea:

Et mox:

Interdum vulgus recte videt: est ubi peccet:
Si veteres ita miratur, laudatq; Poetas
Ut nihil anteferat nil illis comparet, errat:
Si quedam nimis antiquè, si pleraq; durè
Dicere credat eos ignauè multa fatetur,

Et

Et sapit, & mecum facit, & Ioue iudicat equo.
Persius quoque in prima Satyra Accium veno-
sum, id est, durum & asperum vocat. Nam
ut Fabius refert de Actio, & Pacuio,
NITOR & summa in operibus colendis
manus, defuit, non eorum culpa, sed tempo-
rum, quibus studia adhuc erant inculta.
Martialis quoque de istis ambobus:
Attonitusque leges terrarum frugiferae:

Actius & quicquid Pacuuiusque vomunt.

Quae igitur est nostratium Grammatico-
rum fatuitas, quod pro auro Virgiliano ap-
ponunt nobis in schola Grammatica (date
verbo veniam) stercus Ennianum? & quod
pro pipere nobis agyrtae isti vendunt mu-
scerdam? quae iniquitas pro cultissimo ac ter-
sissimo sermone Horatii proferre vomitum
Accij atque Pacuij? Abolita, inquit Fabius,
& abrogata retinere, insolentiae cuiusdam
est, & friuolae in parvis iactantiae. Nam in
usu loquendi ad probatos auctores respicien-
dum est, non ad Grammaticos, saepe aliquid
sine ratione ex Analogia proferentes. Recte
enim Charisius, qui Prisciano fuit antiqui-

or. Homo, inquit, etsi ex communi sexu in-
telligitur, tamen masculino genere semper masculinum
dicitur. *non omnino in
in Charisij!*

dicitur. Nemo enim malam hominem di-
xit. Et Marcus Terentius Varro nusquam
dicit, hic & haec homo: semper & ubiq; in
nouem suis libris, hic homo. Nam quod ob-
ijciunt de Seruij Epistola: quoniam Tullia,
Ciceronis filia, homo nata fuerat, scire de-
buisset, & e Curione didicisse, quod parti-
cipia non respondent predicatis, sed subie-
ctis: ut, Hinc vester Axilla factus est.
quid? Ala. Viden factus ala, non facta ala?
O mihi perpetuum nata puella malum. Ouid.

Homo nata
non est quod
propheta non

Puella nata, quid nata? nata malum perpe-
tuum, non NATVM. Christus pro nobis
est factus: quid? Victimam. En factus victi-
ma: non facta Victimam. Subiecto enim de-
bet respondere participium: Tullia est na-
ta, quid? Nata homo, non natus Tullia. Vi-
den eodem modo nata homo, non natus, quo-
modo: factus Victimam non facta, nata ma-
lum, non natum: factus ala non facta. Ami-
cus igitur meus Priscianus, amicus Diome-
des. Sed in re manifesta omnibus, amica
magis veritas. Non enim haec dicuntur in
contemtionem summorum virorum, quos
merito omnes admiramur, veneramur, co-
limus

limas atq; suspicimus, sed studio quodam
veritatis: quod ipsis quoq; cura & gratum
fuisse cognouimus. Neq; enim vlli debet
esse dubium, si hodie viuerent, & ista lege-
rent, quae interea prodierunt sub nomine
vtriusq; Scaligeri, patris & filij, sub nomi-
ne Iusti Lipsij, Anthony Mureti, Adriani
Turnebi, Augustini Saturnij, quin viri
summi & acutissimi Iudicij, multa vete-
rum Grammaticorum & Rhetorum quoq;
placita, pro nugis agnoscerent. Recte enim
Scaliger & verè contra quosdam plagiarios
Philippi, (qui ipsi surripuerunt totam suam
Grammaticam & totam conspurcarunt no-
uis erroribus) Atq; equidem, inquit, saepe-
numero miratus sum mortalium vel au-
daciam, vel pertinaciam, qui tuerentur er-
rores, quos ij, qui commisere, si viuerent,
emendarent. Neq; enim errasse turpe est.
Est enim INITIVM SAPIEN-
TIAE, si non ei ipsi, qui fallitur, at alijs,
non fallendi. Dixi pauca haec de verbis
antiquis, iametiam de NOVIS. Tam
enim pugnant cum sermone Grammatico
verbanoua, & noua phrasés atq; inusitate
veteri-

phano,
va.

veteribus : quàm verba antiqua & anti-
qua phrases. Usitatis (ait Fabius) tutius u-
timur : Noua non sine quodam periculo fin-
gimus. Nam si recepta sunt, modicam
laudem afferunt orationi: repudiata, etiam
in iocos exeunt. Tale vocabulum nouum,
quod usu doctorum tamen hodie receptum
est, sed modicam affert laudem, teste Fa-
bio, est ~~LINGRATITUDO~~, ut demon-
strat Scaliger cap. 70. de ling. Lat. Item
carentia, pro priuatione, vocabulum planè
nouum. Pœnitentiam quoq; dicimus ex
analogia magis, quàm ex usu loquendi, Si-
cut Licentia à licens, Sic nouum est quod
Donatus dicit, hic & hæc nostras & hoc no-
strate. Nam Solacismum feceris si dixeris,
vinum nostrate : Collegium Medicorum
Tolosate : municipium Arpinate. Usitato
enim sermone Grammatico, (quem vides
esse in bonis probatisq; auctoribus, qui e-
mendatè & politè locuti sunt) dicendum
est tibi : Hic & hæc & hoc Arpinas, Fide-
nas, Tolosas, Capenas, Casinas, nostras, ve-
stras, cuias. Sed & hoc nouum est no-
men, quod Isidorus, omnium indoctissimo-
rum

rum scriptorum arrogantissimus, ut à Valla
rectè appellatur, nobis effinxit: Hic Stri-
gil, pro bac strigilis. Itaq; Philippus noster
bac inquit Strigil, de quo dubito rectius ne
dicatur strigilis. At Nominatiui termi-
nationem è Cicerone discimus, qui dicit:
Accedat ampulla & strigilis. Rectè autem
Philippus contra Isidorum fæminini facit
generis, adducto versu Horatij ex Sat. sept.
lib. 2. Furtiua muta strigili qui pralia ven-
dit. Porro autem & hæc noua sunt, quæ
Donatus ponit in paradigmati verborum,
amantote, docentote, leguntote, audiuntote,
feruntote, suntote: perinde ac si idem sint,
cum vsitatis amanto, docento, legunto, au-
diunto, ferunto, sunto. Nam hæc apud
probatos auctores legimus, illa nusquam oc-
currunt. Persius: Grande locuturi nebu-
las Helicone legunto. Horatius: Non satis
est pulcra esse pœmata, dulcia sunto: Et
quocunq; volent animum auditoris agunto.
Idem: Irriguumq; mero sub noctem corpus
habento. Non autem reperias tale impe-
ratiui verbum apud Ciceronem de legibus,
non apud Liuium, non apud Plautum, non

C

in

in toto Pandectarum opere. Quorsum igitur prodest, nova & inusitata doceri, in Grammatica, quorum nullus possit esse usus in sermone, in loquendo, in scribendo? Multa hic consultò prætereo, quæ à nobis alibi sunt refutata. Neq; enim te auctoritas Donati Supposititij moueat, ut contra usum loquendi, cum ipso ineptias. Nam vulgaris iste & nouus Donatus tantum discrepat à Donato, qui commentarium in Virgilium & Terentium scripsit, Diuig. Augustinus Anstini præceptor fuit, quantum Asinus à Leone differt. Scribunt enim repugnantia, uti suo loco docuimus. Hæc multi non animaduertentes, hodie repente fiunt ex malis Grammaticis mali Rhetores: De eadem illum imitando, qui (ut est apud Sextum Philosophum) ex remige, subito factus est Orator. Itaq; reperiuntur quidam præcoces scriptores, qui in schola Grammatica non bene instituti à suis Magistris, ad scribendum veniunt, & librum aliquem compilant, atq; in lucem edunt. Quem verò librum? scatenem Solæcismis, Barbarismis, Germanismis, Quod ne quis vestrum puteat

puter in insontes dictum, quæso vos, legi-
te primum Celetismi Grammatici Dialo-
gum: qui nunc exit. Nam in eo luculen-
tissimum huius rei exemplum habiturū
estis. Sunt quidem, ut hoc etiam obiter
moneam, multa hodiè res noua: noua ho-
minum inuenta: quibus, in lingua sua,
gens qualibet noua imponit nomina: (vul-
gus enim magister est sermonis) quæ non ex-
tant apud veteres. Quomodo .n. siphonem
illum igniuomum & tormentarium, uno di-
cimus nomine; qui priscis Latinis fuit igno-
tus? Quomodo vocabimus res & instrumen-
ta Typographica; superiori proximo seculo
primum inuenta? Est hoc ingenij haud
vulgaris, & omninò rara industria, posse
describere res nouas, & noua inuenta, ver-
bis veteribus & priscis. Ego (absit arrogan-
tia τὴν φησὶ) huius rei specimen, pro modulo
ingenij mei, dedi in Iulio meo Rediuiuo, ubi
& Siphon tormentarius, quem uno verbo dis-
xi Sclopetum, & prali Typographici instru-
menta, & artes, & ratio quoq; papyri confi-
cienda, & contusis linteis, & alia quædam no-
ua inuenta describantur. Multum in his re-
bus

bus iuuit me lectio Plinij, & Vitruuij de Ar-
chitectura. Nam quaeso te, quot tu putas esse
ignota tibi vocabula, quando Vitruuius 60
partes vnius catapultae, tormenti bellici re-
citat, easq; ferè singulas singulis graecis lati-
nisue nominibus appellatas? Et tu tamè que-
ri audes de verborum inopia? Ceperam ego
superioribus annis, rebus meis, adhuc in me-
liori statu positis, tres libros colligere, in qui-
bus totius Latinae & Graecae linguae Analysis
Rhetorica traderetur: in primo Nomina, in
secundo Verba, in tertio phrases atq; stru-
ctura Nominum atq; Verborum: cum suis
Syncategorematis, quae tertio libro prae-
tebantur, loco προσλεγόμενων. Eorum libro-
rum est isthaec ratio. In primo sunt ultra
centum & septuaginta capita: eaq; sic di-
sposita, ut & naturae ordo, & series, & hu-
mane artis ratio, & usus, omnisq; vita, &
actionum nostrarum cursus postulat. Pono
autem in singulis capitibus, quae tracto me-
thodo Aristotelica, primò omnium gene-
rale vocabulum: idq; si genus est, pono ut
genus: si totum, pono ut totum. Deinde
generi subdo suas species: Toti suas partes:
vtriq;

Utriq; suas differentias specificas: causis,
suos effectus. Hæc methodus est Dialectica
in isto Nomenclatore meo, quam qui obser-
uat, is ad declarandam predicabiliū &
predicamentorū doctrinā ex isto libro, tan-
quam è promptuario quodā, innumerabilia
poterit exempla afferre. Nam quid opus est
diu immorari in præceptis? Regula enim
non Regulis, sed exemplis, quorum in vita
summus est usus, declarari possunt ac de-
bent. Coniunxi autem cum hac Dialecti-
ca methodo, etiam Grammaticam metho-
don. Nam ubicunq; ponitur nomen: ibi ad-
ditur illi suum deminutivum & denomina-
tium, tam secundum formam, quam se-
cundum materiam. Atq; hic nihil à me
fingitur, neq; vlla vox nova ponitur, quali-
bus scatet notus quidam Nomenclator Gra-
colatinus. Nam ex optimis quibusque,
Græcis & Latinis scriptoribus, ingentem
affero vocabulorum aceruum, qui terdena
millia vocabulorum Græcorum & Latino-
rum & Germanicorum continet. Huic
libro, qui ante annum, Francofurti excu-
sus est, & magno labore, magnisq; impensis

C 3

meis

meis confectus, iam debebat alter respon-
dere, quem tribui verbis. Nam ita eum
delineaueram, ut caput capiti, & verba
Actionum ac Passionum suis Nominibus, in
utraque lingua responderent. Tertius quoque
ita est apparatus, ut itidem capiti caput re-
spondeat & semper primi & secundi libri
capita duo, illic quasi in unum coalescant:
sicut in Dialectica ex Nomine & Verbo fit
enunciatum. Constabit verò & hic liber
centum & septuaginta breuibus dialogis:
in quibus Graeca & Latina linguae proprie-
tas & usitata phrasis, & elegans usus syn-
categorematum demonstrabitur. Haec
Analysis Iohanni Sturmio, summo & elo-
quentissimo Oratori, tantoperè placuit, ut
mihi cum ipso Northemij versanti, praefa-
tionem promitteret: & ad Carolum quoque
Lorcherum scriberet: ut Argentina me
retineret, addito suo de meo hoc labore pe-
renni testimonio: quod etiam libro isti pra-
fixum est. Intelligebat enim vir summus
& Orator politissimus: quantum posset in
preparando ingenio, ad Oratoriae studium,
iste meus Nomenclator, si absolueretur.

Nam

Nam puero in scholis sic proponi potest: ut
ante meridiem addiscat aliquot nomina,
qua recitando simul inflectat: post meridi-
em è libro secundo aliquot Verba nominibus
respondentia, qua recitando itidem infle-
ctat. Sic enim altius omnia inherebunt
memoria: & suas ibi agent radices. Ad
postremum sequenti in ordine Dialogos
ediscat: & è simplicibus Nominibus ac
verbis, consuescat phrasin constituere: &
hoc modo usum sermonis, qui est in bonis
auctoribus, sibi à teneris unguiculis fami-
liarem facere. Ego sane, ut hoc opus
ad finem perducerem, fui iam saepe ac mul-
tum rogatus, nec mea defuit hætenus vo-
luntas. Sed obsecro vos, qui possem ego tale
opus, quod olim Lecni decimo captum est,
& cum impensis maximis captum, efficere
solus: in summa rerum omnium mearum
perturbatione: quando præter D E I auxili-
um, ferè nihil est ab vlla homine mihi reli-
quum? Quid? an ego tale quid in animum
potuissem inducere, qui postquam à Iohanne
Sturmio digressus, domum redij, in hunc
vsq; diem ita misere fui, ab inimicis op-
pressus,

U
b
a
b
a
r
a
.

pressus, exagitatus, excarnificatus, ut mi-
randum sit, me adhuc aliquem spiritum
ducere. Sed his omissis, quæ huius non
sunt loci, venio ad tertium illud genus ver-
borum, quod & ipsum usitatis est contra-
rium. Nam verba quedam sunt & phra-
ses neq; nouæ, neq; antiquæ, sed omnino ta-
men barbara, & quæ Germanicæ nostræ lin-
guæ proprietatem magis, quam Latinæ ex-
primunt. Est enim sua cuiq; linguæ proprie-
tas: Suis cuiq; genti Idiotismus, suus lo-
quendi mos, sua consuetudo. Nam obse-
cro te, quam barbare dicas: Ego nihil hic
habeo agere? Quis tibi fecit? Quomodo
tibi est? Nam in his omnibus vides esse
verba propria & usitata: sed phrasin vi-
des inusitatam, quandoquidem nemo vete-
rum ita locutus est. Et quam barbare
dicas: Ego meo proprio exemplo hoc sum
expertus? Quam item barbarum est hoc:
DEVS istum hominem palpabili cecitate
percussit? Magna hic est in scholis Magi-
strorum quorundam inertia: qui pueros
suos non assuefaciunt ad phrasin, & consue-
tudinem Latini sermonis, ex ijs autoribus,
quos.

quos praelegunt. Nam exercendi styli ma-
terias ferè ita proponunt: ut ad illas ex-
primendas nihil possint accommodare, ex-
lectionibus auditis. Itaq; Germanismos
& Barbarismos facere docentur hodie pue-
ri: eosq; secum in Academias afferunt.
Haerent enim tenacius, quae in prima aetate
didicimus: & quae pueri didicere: ea senes
iam turpe putant dediscere. Adeo à
teneris assuescere multum est. Nam, quo
semel est imbuta: recens seruabit odorem
testa diu. Barbarismus à Solacismo distin-
guitur, auctore Fabio: quod Solacismus fiat
in pluribus vocibus non in una, & omnino
ex complexu eorum, quibus res significan-
tur, & voluntas ostenditur: Barbarismus
autem fiat in singulis verbis. At hodie
tamen etiam Barbarismus fit in totius Ora-
tionis structura: sicut exempla declarant,
modo adducta: in quibus usitata Germa-
nis phrasae, Latinis verbis exprimuntur.
Neq; hic multum disputabo: utrum Bar-
barismus sit etiam Solacismus, ut certè
est. Nam hoc mihi sat est docere: quod
utrumq; horum sit vitium: pugnans cum

C S usita

usitato sermone, & cum loquendi usu: quæ
est in bonis ac probatis auctoribus. Intel-
ligunt autem studiosi iuvenes, ex his à me
commemoratis: quantum sit in verbis &
phrasi situm, & quibus rebus eum instru-
ctum esse oporteat, qui velit ad artem ve-
nire Rhetoricam. Quæ tamen non pro-
pter illos dico, qui iam didicere politè loqui,
& qui peritè eruditi sunt; sed propter illos,
qui (ut verbis Quintiliani utar) artem
Grammaticam uti ieiunam & tenuem ca-
uillantur: quæ nisi Oratori futuro fideliter
fundamenta iecerit: quicquid superstruxe-
ris, corruet: ars necessaria pueris, iucunda
senibus, dulcis secretorum comes, & quæ vel
sola, omni studiorum genere plus habet ope-
ris, quàm ostentationis. Ne quis igitur
tanquàm parua fastidiat Grammatices ele-
menta: non quia magna sit opera consonan-
tes à Vocalibus discernere, ipsasq; in semivo-
calium, Mutarumq; numerum partiri: sed
quia interiora, velut sacri huius, aduenti-
bus apparebit multa rerum subtilitas, quæ
non modò acuerè ingenia puerilia, sed ex-
ercere altissimam quoq; eruditionem, ac sci-
entiam

entiam possit. Hæc Fabius: qui inter alia
etiam hoc utiliter præcipit: ut in Gramma-
ticis puerum non diu detineamus: Non ob-
stant, inquit, hæc disciplina per illas eunti-
bus, sed circa eas herentibus. Et Seneca
89. Epist. ad Lucillum, de liberalibus stu-
dijs sic pronunciat: Meritoria artificia
sunt: hæcenus utilia, si præparent ingeni-
um, non detineant. Tàm diu enim istis
immorandum est, quàm diu nihil animus
agere maius potest: **RVDIMENTA**
sunt nostra, non opera. Ibidem Seneca:
Grammaticus circa curam sermonis versa-
tur: & si latius euagari vult, circa histori-
as: iam ut longissimè fines suos proferat, &
circa carmina. Sed opportunè nunc venio **A** ~~verbo~~
à verbis ad sententias. est enim mentis in- ~~terpres~~ ^{terpres}, oratio verbis discrepans, sententijs ~~congruens~~ ^{congruens}.
congruens. Nam eadem loquitur apud
Silium Scipio, quæ apud Liuium: eadem
apud Lucanum Pompeius, quæ apud Cæsa-
rem & Plutarchum, aut Appianum Alex-
andrinum. Nam eadem ubiq; mens est, eæ-
demq; cogitationes, & animi sententiæ.
Sed quanta tamen in verbis discrepantia?

Alia

Alia enim est Oratio Poëtae, alia Historici,
alia Oratoris, si ad verba respicias: de qui-
bus iam dictum est: Sedenim alia quoque
verborum est differentia, qua ex lingua-
rum prouenit varietate: de qua nihil hic
dicami. Vellem quidem, aut percuperem po-
tius, hoc nobis posse esse primum genus ex-
ercitationis; quod tunc olim veteribus illis
in summo, Romanis fuit. Nam Graeca in Latinam
linguam transferendo, & Graecorum senten-
tias faciendo suas, sese illi nunc olim miri-
ficè exercebant. Quàm enim multas ha-
bet Virgilius ex Homero, ex Hesiodo atque
Theocrito sententias, quam multas è Pin-
daro & Archilocho habet Horatius, quàm
multas è Callimacho Propertius, quàm mul-
tas è Menandro & Diphilo, Plautus & Te-
rentius, quàm multas è Demosthene, è Pla-
tone, è Xenophonte, Cicero? Sape integras
paginas, non raro integros libros: ut est li-
ber de vniuersitate: qui totus è Platonis
Timeo est. Et quot locos interpretando,
suos fecit ex Aristotele Plinius, naturalis
historiae conditor? Sed quando sermo Lati-
nus nobis non est maternus, & omninò di-
scendus

scendus è bonis auctōribus, qui politè locuti sunt: Iccirco tantūm hīc de illis præexercitamentis mihi sermo est: quæ in Latina solummodò lingua, collatis inter se bonorum auctōrum sententijs, instituenda sunt. Est autem tam apud Poetas quàm apud Oratores & Historicos, ~~duplex omnis sententia~~ *2 no in p* una quam Græci vocant θέσις, quæ si brevis est, γνώμη dicitur, Latinis dictum: si longior est, & amplificata pluribus sententijs: vocatur proprie θέσις, sententia nullis definita circumstantijs certorum locorum & temporum, certarumq; personarum. Huiusmodi sunt sententiæ Philosophorum, & quæ apud Oratores, & Poetas, de moribus hominum, in quocunq; vita genere, vel laudantur, vel vituperantur. Altera est hypothesis, hoc est, sententia finita & determinata, certo loco, certoq; tempore, & quæ non potest intelligi, nisi de re una, de uno homine, aut de aliquibus, qui vel nominantur vel nominari, & indice digito ostendi possunt. Ac tales Hypotheses sunt sententiæ Historicorum & Narrationes rerum à certis personis gestarum; Item sententia

tentia & Enthememata Oratorum & Poe-
tarum. In quibus utrisq; exercitandis, ea-
dem erit via proposita, tam Oratori, quam
Reqm fida. Poëta futuro: sed utrobique triplex ratio.
ut mod i.
1. Nam aut eadem dicimus iisdem ferè verbis,
2. sed non eodem modo, aut dissimilia facimus
è similibus, nempe dissimiles sententias è
similibus verbis, leui quadam mutatione,
3. aut sententias consimiles facimus è dissimi-
libus verbis, ita ut sit res eadem, sed phrasis
diuersa, & diuersus orationis habitus. Ex-
emplum primi generis esto, in Poetica, si
quis ex Ode faciat Elegiam aut contrà: in
Oratoria, si quis ex duabus Epistolis, velut
è Seruij ad Ciceronem, & Ciceronis ad Ser-
uium, faciat Dialogum. Nam quæ illic
aguntur, inter absentes: hic agi & dici,
possunt inter presentes. Sic ex oratione
Cæsaris facienda est Liuiana, retentis ijs-
dem verbis, & sententijs, tantum immu-
tato modo. Quæ enim à se, aut ab alijs
dicta narrat Cæsar, ea nos ab illis ipsis dici
fingemus, quos nominamus; sicut facit Li-
uius. Contrà, quas orationes affingit He-
roibus suis Liuius: eas narrari à Liuiio, non
à Scipio-

à Scipione, & similibus dici fingemus: imi-
tatione quadam Caesaris. Et quoniam in
hoc primo genere, scripta Poëtica, permus-
tantur numero: Oratoria verò, habitu o-
rationis nouo; & quia Neutrum horum
fieri potest sine Heterosi, nos primum hoc
præexercitamentum dicemus Heterosin,
vel Metaphrasin. Omnium vero facillima
erit, hac exercendi styli ratio que per Hete-
rosin fit, ubi ferè tantum variantur dictio-
num Accidentia, Numeri, Casus, Modi,
Persona, & Tempora. At quem tamen u-
sum habeat, & quid vobis datura sit emolu-
menti: hoc tum demum intelligent isti,
qui se voluerint exercere, ubi iam cala-
mum strinxerint. Non enim proponam
illis initio, nisi expeditu facilia: Verbi gra-
tia: ubi Ariouistus & Caesar colloquuntur:
ibi nos virgatalem attribuemus orationem,
quales sunt Scipionis & Annibalis, apud Li-
uium, rursumq; ubi Scipio & Annibal collo-
quuntur apud Liuium: ibi nos dicta illorum,
more Caesaris, quasi per capita narrabimus.
Proderit hac exercitatio ad comparandam
breuitatem, & perspicuitatem Narratio-
nis

nis: quæ sunt duæ virtutes pulcherrima. Et
quid prohibet è talibus orationibus, in col-
loquio habitis, facere duas Epistolas aut
etiam Dialogos? Aut quid vetat è Phædria
cum Parmenone colloquio, facere Epistolam
Phædria ad Parmenonem, & Parmenonis
ad Phædriam, retentis ubiq; iisdem verbis,
iisdemq; sententijs? Nam hi autores omnes
sunt eloquentissimi, licet non sint Oratores,
neq; Oratorium argumentum, genere di-
cendi oratorio tractent: sicut suo nos loco
Auditoribus discrimen ostendemus, inter
virum eloquentem, qualis in suo genere est
Plato, qualis Aristoteles, qualis Xenophon,
qualis Herodotus, quales item sunt Plau-
tus, Terentius, Horatius, Columella, Vitru-
vius, Plinius; & inter Oratorem: qualis
est Cicero, qualis Isocrates, qualis Demosthe-
nes. Verum enimverò etiam in Poëtica
imitatione, sæpenumerò eadem prorsus re-
tinetur sententia, eademq; verba, tantùm
mutato numero. Cuius rei luculentum ex-
emplum dat nobis Horatius, imitando prin-
cipium Eunuchi Terentiani. Sic enim Phæ-
dria & Parmeno illic colloquuntur:

PH. Quid

Ph. Quid igitur faciam? non eam, ne nunc
quidem,

Cum accersor ultrò? an potius ita me com-
parem.

Non perpeti meretricum contumelias?

Exclusit, reuocat, redeam? non, si me obse-
cret.

Par. Siquidem herclè possis, nihil prius neq;
fortius

Verùm si incipies neq; perficies gnauiter

Atq; ubi pati non poteris, cum nemo ex-
pectet,

Infecta pace: ultrò ad eam venies, indicans

Te amare, & ferre non posse: actum est,
ilicet,

Peristi: eludet, ubi te victum senserit.

PH. Proin tu, dum est tempus, etiam atq;
etiam cogita.

Par. Here: qua res in se neq; consilium, neq;
modum

Habet vllum, eam consilio regere non potes.

In amore hæc omnia insunt vitia, iniuria,

Suspiciones, inimicitia, inducia,

Bellum, pax rursus: incerta hæc si tu postu-
les

Ratione certa facere, nihilo plus ages,

D

Quam

Quam si des operam, ut cum ratione insa-
nias.

Hec Terentius: Quae quomodo imitatus sit
& mutato ferè numero tantum sua fecerit
Horatius videamus. Ita enim ille lib. 2. Sat. 3

Amator Exclusus qui distat agit ubi se-
cum: eat, an non,

Quò rediturus erat, non arcessitus; & haeret
Inuisis foribus. Ne nunc: cum me vocet
ultrò

Accedam? reuocat, redeam? non si obse-
cret. Ecce

Seruus non paulò sapientior. O here: quæ
res

Nec modum habet neq; consilium, ratione
modoq;

Tractari non vult. In amore hæc sunt malæ
bellum,

Pax rursus. Hac si quis tempestatis propè
ritu

Mobilia, & cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa, simul nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione, modoq;. Sicut
autem Terentium imitatur Horatius: ita
Horatium Persius, Sat. 5.

Nunc

Nunc ferus & violens: at si vocet, haud mo-
ra, dicas:

Quidnam igitur faciam? ne nunc cum ac-
cersor, & ultrò

Supplicet, accedam?

Iterum ubi Horatius lib. 2. Carmi. Ode.
17. seu libra, seu me scorpium aspicit For-
midolosus, pars violentior natalis hora,
seu tyrannus Hesperia capricornus unda,
Vtrunq; nostrum incredibili modo Consen-
tit astrum: Ibi iterum Persius Sat. 5. Non
equidem hoc dubites amborum fœdere cer-
to Consentire dies, & ab uno sidere duci.
Nostra vel aequali suspendit tempora libra,
Parca tenax veri: seu nata fidelibus hora
Diuidit in geminos concordia fata duorum:
Nescio quod certè est, quod me tibi tempe-
rat astrum. Quod veteribus licuit: cur
non & nobis liceat? & si idem licet nobis
quod illis, cur non studeamus illorum esse
similes? Nam si illi quibus Latinus sermo
fuit vernaculus, imitati sunt alios in scri-
bendo: quanto magis nos, quorum lingua
est barbara, istuc facere aequum erit? Ele-
gans est Horatij sententia, & nota omni-

bus cum dicit: Fortes creantur fortibus:
& bonis. Est in iuuentis, est in equis pa-
trum virtus: nec imbellem feroces, Pro-
generant aquila columbam. Muta tu hic
numerum, & retine eadem verba, ean-
demq; sententiam, quam pulchrum feceris
Hexametrum carmen:

Fortibus atq; bonis, fortesq; boniq; creantur:
Et patrum est virtus in equis rudibusq; iuuentis:
Nec celeres aquilæ imbellem genuere columbam.
Rursum ubi Horatius; Mæcenæ atavis
edite Regibus: O & presidium, & dulce
decus meum, ibi tu sic & ergo: Mæcenæ
atavis de regibus edite Thuscis: O & presi-
dium dulce decusq; meum. Iterum ubi Ho-
ratus: Iam satis terris nivi atq; dira Gran-
dinis misit pater: & rubete Dextera sacras
iaculatus arces, Terruit urbem, ibi tu sic:
Iam satis in terras niuium, pater atq; coru-
scæ Grandinis iratus misit: dextraq; ru-
benti Tarpeias arces iaculatus terruit ur-
bem. Equidem Virgilius quoq; veterum
sententias hoc modo suas fecit: Nam quot
ille locos è Medea, atq; ex Alexandra, Ennij
in sua Aeneida transtulit? Et quam inge-
niose Elegiacam Didonis ad Aeneam epi-
stolam,

Stolam, effinxit Ovidius, è quarto libro
Aeneidos? Cur igitur nos idem non ten-
temus: cur non primò breues quasdam Vir-
gilij sententias: per Heterosin, immutato
numero, nostras faciamus? Verbi gratia:
Facilis descensus Auerni: Noctes atq; dies
patet atri ianua ditis: Sed reuocare gra-
dum; superasq; euadere ad auras, Hoc opus
hic labor est: Pauci quos æquus amavit Iu-
piter, aut ardens euexit ad æthera virtus.
Hæc enim Virgiliana nos efficiemus. nostra
Quomodo?

Scilicet est homini facilis descensus Auerni:

Noctes atq; dies ianua furua patet.

Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras:

Hoc opus immensum est, hic labor ille grauis.

Pauci, quas ardens euexit ad æthera virtus.

Pauci, quos opifex Iupiter æquus amat.

Possem multa afferre huiusmodi exempla,
quibus primi generis progymnasmata de-
clararem, nisi alia restarent, de quibus præ-
cipue studiosam iuuentutem hoc loco com-
monefacere constitui. Propero igitur ad
alterum genus progymnasmatum: quod est
similium ferè verborum, sed dissimilima-
rum sententiarum, id quod fit per parodi-

em. Est enim parodia sententia inuersa,
mutatis vocibus, ad ridicula sensum retra-
bens, ut Scaliger finit. Habet tamen etiam
in serijs locum, neq; tantum in carmine, sed
etiam in prosa: sed propriè tamen in carmi-
ne, unde etiam parodiae nomen habet. Nos
in soluta oratione Metallagen (dum aliud
commodius nomen occurrat) pro nobis no-
minabimus. Huius autem rei illustre ex-
emplum est apud Terentium. Nam ubi
Demea rem seriò agens, dicit:

Nihil prætermitto, consuefacio; deniq;
Inspicere, tanquam in speculũ, vitas omniũ
Iubeo atq; ex alijs sumere exemplum sibi:
Hoc facito, hoc fugito: hoc laudi est, hoc vi-
tio datur:

Ubi inquam Demea sic seriò loquitur: ibi
Syrus, nequam seruus, ista in iocum vertit,
& ad rem culinariam transfert. Et ego
(inquit) quoad queo, conseruis ad eundem
præcipio modum: Hoc salsum est, hoc adu-
stum est, hoc lautum est parum.

Illud recte. Iterum sic memento, Sedulo
Moneo, quæ possum, pro mea sapientia.

Postremo, tanquam in speculum, in patinas

Demea

Inspi-

Inspicere iubeo. Et moneo, quid factu opus
siet.

Apud Aristophanem meum occurrunt pas-
sim eiusmodi parodia: sed in primis elegans
est, quae extat in fine Acharnensium: ubi
Lamacho depromente arma militaria, Dis-
ceopolis ridens hominis dementiam, de-
promit arma culinaria. Ferunt etiam fu-
isse e Gracis quendam Matronem Poëtam,
qui multa millia Homericorum versuum ad
culinam & macellum iocosè inuerterit.

Quid, quod nuper admodum peculiaris li-
ber prodijt, in quo Phaseli Catulliani aliquot
parodia afferuntur, ubi similis in rebus dis-
similimis compositio, & eorundem verbo-
rum miranda est imitatio. Ac tales
sunt etiam Homerici centones & Virgilia-
ni: quorum auctrix dicitur esse Proba Fal-
conia, insignis Poëtria. Sed nos paucissima
ex infinitis exempla adducemus, ubi Virgi-
lius imitatus est, Ennium, Lucretium, Cat-
tullum, & ubi Virgilium imitati sunt Ovi-
dus, Statius, Silius, Valerius, Flaccus, Clau-
dianus, Lucanus, Seneca: ubi item hos ipsos
nostri Poëta secuti sunt? Ostendam enim,

D 4 quomo-

quomodo nos etiam παρὰ δ' ὄντων veterum
Poetarum sententias, in nostra scripta, possi-
mus transferre, & illorum similia facere.
Annon enim ubi Ennius dicit: Unus ho-
mo nobis cunctando restituit rem: ibi Vir-
gilius: Unus qui nobis cunctando restituit
rem? Annon ubi Ennius: O patria, ô Di-
uum domus Ilium, & inclyta bello: ibi ca-
dem Virgilius etiam sine parodia? Annon
ubi Ennius: Qui cælum versat stellis ful-
gentibus aptum: ibi Virgilius. Axem hu-
mero torquet, stellis fulgentibus aptum?
Annon ubi Ennius, Vertitur intereâ cæ-
lum, cum ingentibus signis: ibi Virgilius:
Vertitur intereâ cælum & ruit Oceano nox?
Quid? annon Enniana sunt hæc:

Tum timido ex omni manat mihi corpore sudor
Et: Cum superum limen nox intempesta tenebat:
Et Nunc hostes vino domiti somnoq; sepulti.
Et Quod per amœnam urbem leni fluit agmine
flumen.

Et Verrunt extemplo placidum mare marmore
flava,

Ceruleum spumat sale?

Et annon ista Enniana sua fecit Virgilius
παρὰ δ' ὄντων?

Tum gelidus toto manabat corpore sudor. Et

Et Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat
Et Inuadunt urbem somno, vinoque sepultam
Et Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.
Et Adnixi torquent spumas: et cœrula verrunt?
Sic ubi Lucretius Aetnam describit lib. 6.
annon eadem ferè verba easdemque senten-
tias, leui immutatione imitatus est Virgi-
lius lib. 3. ? Quid? annon ubi Lucretius in
principio lib. 4.

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita solo: iuuat integros accedere fontes,
Atque haurire: iuuatque novos decerpere flores:
Insignemque meo capiti petere inde coronam:
Vnde prius nulli velarent tempora Musæ:
Annon inquam ibi Virgilius lib. 3. Georg.
Sed me Parnassi deserta per ardua montis
Raptat amor: iuuat ire iugis, quæ nulla priorum
Castaliam molli diuertitur orbita cliuo?

Annon ubi Catullus:

Iupiter omnipotens, utinam nec tempore primo
Gnoſſia Cecropiæ tetigissent littora puppes:

Ibi Virgilius:

Si littora tantum

Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carina?
Intelligent (ni fallor) ex his paucis, quam
studiose veteres imitatus sit Virgilius.

Nunc etiam videamus: quomodo ipsum

D S Virgi-

Virgilium sint imitati alij Poëta. Nam ubi
Virgilius: *Est ego quæ Diuum incedo Re-*
gina Iouisq; Et soror & coniux: ibi Ouid. 2.
Met. Si sum regina Iouisq; et soror & coniux
Rursû ubi Virg: *Nos Troia antiqua (si Troia*
forte per aures nomen ut) ibi Ovidius: Pro-
cris erat, si fortè magis peruenit ad aures
Orithyia tuas. Quid annon ubi Virgilius:
Immensum renouare iubet regina dolorem:
ibi Statius lib. 5. *immania vulnera Rector*
Integrare iubet? Annon idem Statius lu-
dicra certamina descripta à Virgilio lib. 5.
pulcherrimè imitatur lib. 6. Thebaidos?
Annon ad Salij & Euryali exemplum fe-
stiuè effinguntur à Statio Parthenopæus &
Idas? Nam ut Salius in cursu præpeditus
à Niso, concidit, & Euryalus illum præuer-
titur, ita Parthenopæus crinibus ab Ida re-
tractus, in humum prolabitur, atq; in cursu
vincitur: Et sicut apud Virgilium:
Totum caueæ confessum ingentis & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumq; dolo reddi sibi postulat honorem:

Ita apud Statium:

Arcades arma fremunt, armis defendere Regem,
Ni raptum decus, & meriti reddantur honores,
Contendunt. *Sicut*

Sicut etiam, apud Virgīum:

*Tutatur fauor Euryalum, lacrymaq; decore,
Gratior & pulcro veniens è corpore virtus:*

*Ita & apud Statium, regesta Parthenopaus,
humo vultumq; oculosq; madentes Obruit:
accessit lacrymarum gratia formæ: Rursum
ubi Virgilius: Nec tam auersus equos Tyria
Soliunget ab urbe: ibi Statius: Scimus,
ait, nec sic auersum fama Mycenis Vertit
iter. Iterum ubi Virgilius: Omnis in A-
scanio cari stat cura parentis: Ibi Statius:
Tantum in corde sedens agrescit cura pa-
rentis. Etsi autem diligentissime imitatus
est Virgilium Statius: tamen in fine operis
sui ita exclamat:*

*O mihi, bis senos multum vigilata per annos
Thebai, viue precor, nec tu diuinum Aeneida tenta
Sed longè sequere: & vestigia semper adora.*

*Quid de Valerio dicam Flacco, qui & ipse
diligentissimus Virgilij sectator fuit? Nam
ubi Virgilius (ut vnum exemplum ex infi-
nitis afferam):*

*Interea magno misceri murmure pontum
Emissamq; hyemem sensit Neptunus & imis
Stagna refusa vadis: grauitè commotus & alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit undas:*

Ibi

Ibi Valerius Flaccus, lib. 1.

Vndiq; feruent

Aequora: cum subitus trifida Neptunus in hasta
Ceruleum fundo caput extulit.

Et Silius Italicus lib. 7.

Vt cum turbatis placidum caput extulit undis

Neptunus, totumq; videt, tatoq; videtur

Regnator ponto: laevi fera murmura ventis

Dimittunt. Rursum ubi Virgilius:

At Venus obscuro grandientes aere sepsit

Cernere ne quis eos, neu quis contingere possit:

ibi Valerius: Famula duce protinus urget,

Aëre septus iter patitur nec regia cerni

Iuno virum. Et quam effabrè tempestatem

ab Aeolo immissam (sicut ea à Virgilio in
primo Aeneid. describitur) imitatus est Va-

lerius lib. 1. Argometricorum? Sed & Lu-

canus Poëta quanquam sedulo studuit simi-

lia dicere Virgilianis: tamen fassus est, sibi

adhuc multum restare ad Virgilij culicem:

Et annon Virgilianum est hoc Lucani lib.

2. cum ait: Sed quò fata trahunt; virtus

secura sequatur? Ita enim Virgil. 5. Aeneid.

Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntq; sequamur

Quid annon Virgiliana sūt haec Lucani, lib. 4.

Equis, ait iuuenum est, cuius sit dextra cruore

Digna meo, certa q; fide per vulnera nostra

Testetur se velle mori?

Eadem

Eadem enim ferè dicit Virg. lib. 9. Aeneid.
Et quam obsecro consimilis est apud Luca-
num in lib. 5. descriptio fatidica mulieris,
ei descriptioni, quæ est apud Virgil. lib. 6.
ubi Sybilla vaticinatura mirificè depingi-
tur? Omitto quam plurima loca, quæ è Vir-
gilio expressere Statius, Ovidius, Flaccus,
Silius, Lucanus & Claudianus παραδ'ωπτε
ipsius carmina. Nam temporis exiguita-
te prohibeor, ut plura in medium adducere
non possim. Horatio quoq; cuius antè
memini, non defuere sectatores sui. Sicut
enim ille imitatus fuit Lucillum: ita ipsum
imitatus est Persius. Nam ab eo non modo
res, sed etiam sententias, & verba mutua-
tus est. Id quod uno solum atq; altero ex-
emplo sufficiat demonstrasse. Vbi enim
Horatius impia hominum vota castigat,
inquiens;

Vir bonus, omne forum, quem spectat, & omne
tribunal,

Quandocunq; Deos vel porco, vel boue placat:

Iane pater clarè, clarè cum dixit Apollo:

Labra mouet metuens audiri: pulchra Lauerna

Da mihi fallere: da iustum sanctumq; videri

Noctem peccatis, & fraudibus obyce nubem.

Item

Item lib. 2. Sat. 4. O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc deformat agellum:
O si urnam argenti fors quæ mihi monstret: ut illi
Thesauro inuento, qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus arauit, demus amico
Hercule, si quod adest, gratum iuuat. Vbi inquam
isthæc Horatius: ibi Persius:

At bona pars procerum tacita libabit acerua.
Haud cuius promptum est, murmurq; humilesq;
susurros

Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, firma, fides hæc clarè, & ut audiat
hospes.

Illa sibi introversum, & sub lingua immurmurat:
O si

Ebuliat patrum præclarum funus: & o si
Sub raastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule, & c. Rursum vbi Horatius lib. 1. epist. 16.
Sed vereor, ne cui plus de te, quàm tibi credas,
Neu, si te populus sanum, recteq; valentem
Dicuntet, occultam febrim sub tempus edendæ
Disimules, donec manibus tremor incidat unctis.

Rursum ibi Persius Sat. 3.

Hæus bone tu palles: nihil est. Videas tamen istud
Quicquid id est: surgit tacitè tibi lutea pellis, & c.
Turgidus hic epulis, atq; albo ventre lauatur,
Guttore sulfureas lentè exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumq; trientem
Excudit è manibus, dentes crepuere reiecti.

Iterum

Iterum ubi Horatius lib. 1. Sat. 4.

*At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usq; laborantes, dum ferrum molliat ignis
Ut manus, imitare. Iterum ibi Persius Sat. 5.
Tu neq; anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum graue cormicaris inepte.*

Rursum ubi Horatius lib. 1. Sat. 4.

*Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum,
Hunc capit argenti splendor: stupet Albius ære:
Hic mutat merces surgente à sole ad eum, quò
Vespertina tepet regio. Et alibi.*

Quot capitum viuunt, totidem studiorum millia:

Rursum ibi Persius:

*Mille hominum species & rerum discolor usus:
Velle suum cuiq; est, neq; voto viuatur vno
Meribus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cymini:
Hic satur irriguo mauult turgescere somno.
Hic campo indulget: hunc alea decoquit, &c.
No. o plura adducere exempla: quanquam
possim, neq; enim opus est, & in tanta fe-
stinatione commode fieri non potest. Nam
satis ex his à me commemoratis studiosi O-
ratoria, & Poëtica intelligunt, quantum in
stylo rectè exercendo usum afferat, rectè
imitari posse aliorum sententias. Si enim
laudem*

laudem meretur Virgilius quod aurum col-
legit è sterquilinio Ennij: quanto magis nos
merebimur laudem: si aurea veterum di-
eta nobis propria fecerimus? Diuus certe
Hieronymus alibi nos hortatur, ut sequa-
mur Israelitas: qui spoliarunt Aegyptios, &
ex auro illorum fecere vasa ad Templum
Domini. Nam & nos decere ait: ut pro-
fanorum Rhetorum, & Poëtarum insignes
sententias, ab iniquis possessoribus aufera-
mus, & in Ecclesiam Dei, atq; ad laudem &
decus Domini conferamus. Quid enim
magis piè dici possit, quàm si hoc Ennianum
& Virgilianum: Vnus homo nobis cunctan-
do restituit rem, παρωδῶν, dicas: Vnus ho-
mo nobis moriendo restituit rem? Et quid
religiosius possit dici de Christo quàm quod
Horatius dicit de Phæbo: Nil desperan-
dam Christo duce, & auspice Christo? Re-
ctè etiam, & piè Eobanus id, quod Ovidius
de Poëtis Phæbicolis dixit, παρωδῶν contra
illos usurpat lib. 1. Sylvarum. Nam ubi
Ovidius:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo
Sedibus æthereis spiritus iste venit.
Ibi noster Hæsus:

ER

Est Pluto in vobis, agitante calescitis illo?

Sedibus infernis spiritus iste venit.

Ac talium exemplorum pleni sunt libri nostrorum Poëtarum: qui veterum in scribendo similes esse studuerunt, Quare in percensendis pluribus consultò supersedeo. Possunt autem tales parodia etiam in prosa institui: & nos quoque pro exercitiò tales inuersiones quàm plurimas proponemus. Nam hac imitandi ratione fient Oratoria studiosi, in locis quàm plurimis, similimã antiquis illis, & eloquentissimis Oratoribus, verbi gratia: Vbi Cicero beneficium restituti in integrum Marcelli adscribit unã Cesari: ibi studioso Oratoria licebit quasi παραδειπ; & paucis mutatis diuersam sententiam inferre. Potest enim collatio institui cum triumphis Regum & bellatorum, triumpho illius, quem Christus duxit, deuictis atrocissimis hostibus, morte, inferno, Satana. Vbi igitur Cicero suam instituit collationem, in qua comparat Casarem Cesari, & factum unicum Cesaris, cum bellis & triumphis eiusdem, & ubi sic claudit: At verò huius gloria, C. Cesar, quam es paulò ante adeptus, socium habes nemi-

E

nem

nem: totum hoc, quantumcunq̄ est, quod
certè maximum est, totum, inquam, tuum.
Nihil tibi ex ista laude centurio, nihil præ-
fectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.
&c. Ibi tu sic: At vero huius gloria, quam
seruator Christus, ex restitutione generis
humani refert, socium habet neminem; to-
tum hoc, quantumcunq̄ est, quod certè im-
mensum est, totum, inquam, unius Christi
est. Nihil ei ex ista laude Archangeli,
nihil Angeli, nihil principatus, nihil pote-
states, nihil cælum, nihil terra decerpit.
Sed hac exempli causa attulisse sufficiat.
Nam in hac progymnasmatibus specie, dili-
gentissimè exercebimus auditorem: ut
primò unam aut duas periodos, paucis im-
mutatis, in aliam possit trahere sententiam,
& omnino suam facere: mox integram pa-
ginam sic invertere. Nam ubi ad inte-
gras orationes faciendas, postea peruentum
fuerit, multò expeditius præstabit imitan-
do, tum sigula, quæ singillatim didicit;
& in quibus sigillatim fuit exercitatus,
quam uniuersa, quæ consequi simul non po-
tuit, & in quibus componendis se nunquam
exerci-

exercuit. Vt enim sartor vestem facturus, non omnia simul confarcit, sed unam partem post aliam, ac demum partibus compositis, vestem ex illis efficit: ita nos quoque partes aliquas primum aptè discemus componere imitando veteres, & à simplicioribus semper ad composita progrediemur. Restat tertium progymnasmatum genus, nempe similitum sententiarum, ubi dissimilia sunt verba, & dissimilis compositio, ut cum ex Poëticis sententijs fiunt sententia Oratoria, aut ex oratorijs Poetica, mutatis verbis & phrasi. Illic enim non modo numeri, sed etiam verba Poetica remouentur, & oratoria substituuntur. Hic verba Oratoria rediguntur in numerum, & pro verbis proprijs ponuntur tropica & figurata, Item pro phrasi, & communi consuetudine loquendi, phrasis Poetica, & à vulgò remota. Nam sermo Poetarum cum quadam maiestate est coniunctus, & sublimiori passu incedit, neque humi repit, sed omnino assurgit in altum. Hoc praexercitamenti genus, Graeci vocant παραφρασις: utilissimum in quo solo studiosus Oratoria,

Quing 72.
n. m.

totum annum se quotidie exerceat. Nam in
hoc distinguuntur verba Tropica à proprijs;
verba Poetica ab usitatis, & à verbis quo-
tidiana consuetudinis. Discitur etiam hoc
exercitio, discrimen inter methaphoras
Poeticas & Oratorias: discitur item ratio,
aliquam nudam Poetae sententiam amplifi-
candi & induendi ornatu Oratorio. De
hoc Quintilianus 1. lib 9. cap. Versus primò
soluere, mox mutatis verbis interpretari:
tum paraphrasi audacius vertere, quin &
breuiare quadam, & exornare, saluo modo
Poetae sensu, permittitur. Quod opus et-
iam consummatis professoribus. qui commo-
dè tractauerit, cuiusq; dicendo sufficiat.
Nos ut monenti Fabio obtemperemus, & o-
mnino commodè hoc exercendi genus tra-
ctemus, primum generales quasdam $\gamma\upsilon\omega\mu\alpha\epsilon$
Poetarum proponemus, quae tribus consistent
versibus, deinde, quae pluribus. Post etiam
integras $\delta\epsilon\sigma\epsilon\epsilon$ hoc modo illustrandas da-
bimus, tum demum aliquam è Virgilio O-
rationem; quae permutanda sit cum aliqua
Oratione Liuiana, aut aliquam proponemus
Satyram Iuuenalis, quae hoc genere exerci-
tij ex-

ij explanetur, è Ciceronis aliqua inuecti-
 ua. Nullum autem est inter omnia, quae di-
 ximus, προγύμνασμα, cuius beneficio vete-
 rum sententias possimus aptius imitari, &
 imitando nostras facere, & omnino veteri-
 bus similia dicere, quam hoc ipsum παρὰ
 φρασικὸν dicendi & scribendi genus, Quid
 enim aliud sit imitari, quam aliorum dicta
 sua facere, & ita facere sua, ut non dicas
 eadem, nec diuersa, sed similia? Quid imi-
 tari sit, quàm è Graecis Latina, è Latinis
 Graeca, è Poeticis Oratoria, ex Oratorijs
 Poetica, ex Poeticis similia, ex Oratorijs it-
 dem similia facere? Versus apud Hesiodum
 sunt pulcherrimi:

οὐτ' ὅ μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει.
 φρασάμην, τὰ κ' ἐπειτα, καὶ ἴς τέλ' ἔσιν
 ἀμείνω:

ἔσθλός δ' αὖ κακῆν, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
 ὃς δ' ἐκε μὴθ' αὐτῷ νοήσει, μήτ' ἄλλ' ἀκδῶν
 ἐν θυμῷ βάλληται, ὃδ' αὐτ' ἀχρηῖ ἀνής.

Hos versus Hesiodi Latinus Poeta suos fece-
 rit, Quo pacto? Interpretando, & non-
 nihil immutando: sic videlicet.

Qui, quod agit, prudenter agit, longeq; futurum
 Prospicit euentum, per se satis omnia solers,

Optimus ille virum: tum quisquis recta monentis
Consilio paret, laudem sibi comparat æquam:

At qui nec sibi met sapit, & consulta monentum
Respuit: hunc hominem quis possit dicere frugi?
Vel per Heterosin, mutato numero, & for-
ma orationis, in hunc modum:

Optimus ille virum, qui prospicit omnia secum,
Quæq; oculis non est cernere, mente videt.

Nec malus est, quisquis prudentibus applicat aurē:
Nec demens odio verba monentis habet.

At qui nec secum videt euentura, nec audit
Verba senum: hunc nihili dixeris esse virum.

Audiamus verò, quomodo Liuius istam He-
siodi sententiam fecerit suam, quadam
ἡσίοδος. Sape (inquit) audiui, milites,
eum optimum esse virum, qui ipse consulat,
quid in rem sit: secundum, qui bene mo-
nenti obediat: qui verò nec ipse consulere,
nec alteri parere scit, eum extremi ingenij
esse. Ego quoq; tum mei, tum aliorum
exercendorum causa, gratam omnibus
ἡσίοδος, ante aliquot annos edidi in Bu-
colica & Georgica Virgilij. Nam pasto-
ralia colloquia, è familiari sermone Terentij
& Plauti expressi, qui & ipsi rusticos è suis
scenis producunt. Præcepta verò ruralia,

&

& villatica explicui verbis Plinij, Con-
mella, & Marci Varronis: ubi sæpè com-
plures versus illorum auctorum, quos dixi,
verbis à me resoluuntur: Eisdem quoq; tem-
poribus, & precedenti anno meas in Per-
suum, Poetam valdè obscurum, paraphra-
ses edidi, quibus mentem Poeta ni fallor,
sic explanavi, ut pueri iam possint intelli-
gere Persuum: de quo D. Augustinum fe-
runt solitum dicere, nunquam se effectua-
rum, ut eum intelligat. Sed & meas
omnes Epistolas Horatij extat paraphrasis,
quæ hoc anno demum prodijt. Ex ea stu-
diosi vident, quam utile sit hoc exerciti-
um, ad augendam orationem, & ad compa-
randam rerum, verborumq; copiam, ad a-
cuendum iudicium, tum in omni composi-
tione rectè instituenda, tum in primis in
adhibendo verborum delectu. Erat qui-
dem animus etiam Satyras Horatij & Iuue-
nalis, ac totam Virgilij Aeneida hoc anno
explicatam proferre in lucem, Nam absol-
verem iam primum & secundum Aeneidos
librum, & aliquot Iuuenalis Satyras: Ve-
rum atrox ista tempestas, quæ me meamq;
E 4 ~~denuntia~~

domum multos nunc annos affligit, &
quam iidem, qui immisere gratulantur nunc
mihi, homines ἐπιχαλγέταροι, non sinit me
propositum persequi. Ostendi enim huc
usq; tres modos, quibus aliorum verba &
sententias, imitando possimus nostra faces-
re: nempe Heterosi, Parodia, & Paraphra-
si. Nam hos ego mihi è multis elegi tan-
quam precipuos, & ad viam eloquentie
sternendam maximè idoneos: Neq; de Vo-
cabulis rixabor cum quoquam, utrum Me-
tabole potius sit dicenda, quam nos Hetero-
sin dicimus, aut Metaphrasis: dum modo de
rebus ipsis constet. Transeo nunc à verbis &
sententijs ad facta, siue ad exempla facto-
rum. Hac autè trium omninò sunt generũ.
Nam factorum narrationes aut sunt histo-
ricæ, & veræ, quibus nullus adhibetur orna-
tus, aut sunt Oratoricæ, itidem veræ, sed
amplificatæ ex locis Dialecticis & commu-
nibus, aut sunt Poeticæ & fabulosæ: sub
quibus tamen aliqua latet veritas. Atq; hæ
narrationes fabulosæ aut simplices sunt, o-
mni orbata ornatu, quales sunt Aesopicae,
et sunt vestitæ ornatu, ut Poeticæ. Etsi au-
tem

*in factis
sunt oris.*

rem iisdem modis, quibus imitamur aliorum
sententias, ferè etiam hic uti possumus, in
exprimendis, locorum & temporum nostro-
rum itemq; personarum nostrarum circum-
stantijs, ad exemplum veterum scripto-
rum, tamen duobus ferè modis contenti eri-
mus, quorum unus parodia nomen obti-
neat, alter paraphraseos. Erit enim hic
scopus noster, quomodo recens aliquod fa-
ctum ita narrare possimus: ut narratio no-
stra sit styli Caesaris & Liuij quam similima,
& quidem Casari, quam Liuijo propior. Il-
lius enim oratio est maximè εὐπρόσιτος.
Exemplum huius progymnasmatiss, dabo
historicam narrationem de pugna nauali
Venetorum contra Turcas apud Echinadas,
ubi iisdem verbis, quibus Caesar suas res,
suos locos, sua tempora, suas personas & il-
lorum consulta, facta, factorumq; euentus
describit, nos etiam locos, tempora, perso-
nas, & similes circumstantias describemus.
Paraphrastica item narrationis fabulosa &
Poetica exemplum habes apud Platonem, 1.
lib. de Repub. ubi narrat eadem, quae Ho-
merus in 1. Iliad. recitat de Chrysi sacerdo-

E s te, su.

re, suam filiam à Grecis repetente. Itā enī
Plato (Nam locus Homeri est omnibus ob-
uius). Cum autem ad illos venisset Sa-
cerdos, primum Deum precatur, ut Greci
salui atq; incolumes Troiam caperent. De-
inde ab illis petit, suam ut filiam accepto
precio, & reueriti Deum, sibi restituant.
Hac locutum venerati alij omnes, dicta
comprobarunt: Agamemnon autem fe-
rocire, & iubere ut statim discedat, nec
unquam reuertatur: aliās ipsi neq; sceptrū,
neq; coronam Dei sui multum profuturo.
Addebat verò & hoc, filiam eius, Argis
anum prius secum futuram, quā libere-
tur. Abiret igitur neq; irritaret sese ut
saluus domum suam redire posset. Qui-
bus auditis senior extimuit, & cum silen-
tio abiit. Progressus extra Castra, mul-
tis precibus Apollini supplicauit, cum &
Dei cognomen memoraret, & mentio-
nem faceret, atq; mercedem repeteret eo-
rum munerum, quibus illi unquam grati-
ficatus fuisset, vel in facto recto prestan-
do templum eius, vel in re diuina facien-
da. Quorum gratia orabat, ut ultionem
sua-

suarum lacrimarum diuinis telis à Danis
exigeret. Hæc Plato. Sed quia nos pau-
cis è Philippo & Quintiliano, atq; Erasmo
repetitis ostendemus, quomodo Orator tra-
ctare debeat non modo aliorum dicta, sibi
ea attribuendo, aut pro testimonio addu-
cendo, siue sint ὑπόμνημα, siue prouerbia, siue
Chria, siue Apophthegmata, sed quomodo
etiam exempla virtutum ac vitiorum ad-
ducere, & suam orationem illis exornare
possit, iccirco de hac progymnasmatum specie
nihil addam amplius. Nam ut in præ-
ceptis ero breuis, ac ferè nullus, ita in ex-
emplis ero copiosissimus. Neq; verò quen-
quam nondum in arte Oratoria versatum,
pudeat, in istis progymnasmatum aliquant
ponere operam. Si enim nauta, priu-
sq; quam iriorem sibi gubernandum suscipi-
ant, & se vasto mari committant, prius se
paruo limbo exercent, & in littore na-
uem regere discunt: quanto magis nos idem
hoc in arte Oratoria facere decet: ut priu-
sq; quam ad faciendas Orationes repente pro-
siliamus, vires nostras in minoribus hisce
tentemus, atq; ad maiora illa preparemus.

Quomo-

Declama,
no

Quomodo enim Orator futurus possit finem suum consequi, nulla instructus verborum idoneorum copia, nullo delectu; quomodo integram possit Orationem imitari, qui duas lineas aptè imitari non didicit? quomodo tam vasto committat se pelago, qui nullis est instructus remis, nullis velis, nullis rudentibus, & quomodo non ubiq; scopulis impingat, qui sic inermis, iners, & rudis in latissimum mare, quouis aduerso vento propellitur. Certè naufragium citius in arte sua faciet, quàm ut optatum aliquem portum contingat. Et hætenus de priori exercitationum genere. Proximum nunc erit, ut dicerem etiam de altero exercitationum Oratoriarum genere, nempe de Declamationibus: quomodo videlicet in materijs proponendis habendus sit delectus; ne prius doceamus studiosum discendi, tractare causam forensis, quàm possit ornare funus, laudare virtutem, reprehendere vitium aut sceleratè factum: quomodo item inuenta ad docendum materia apta & Oratoria (neq; enim Oratoria ars est omnium materialium) possint, ac debeant argumen-

argumenta peti ex rebus ipsis, & ipsis cau-
sis, ex fontibus virtutum & vitiorum, vel
in laudando, vel vituperando: ex fontibus
morum & actionum vite, in suadendo ac
dissuadendo: ex fontibus legum & iuris,
in accusando aut defendendo: quomodo ar-
gumenta huiusmodi propria & cum rebus
cognata, amplificanda sint, per copiam re-
rum & verborum, è locis communibus, siue
topicis: quomodo hac omnia exornanda tro-
pis, & schematibus, luminibus verborum
& sententiarum, ne alios ineptè imitando
fiamus & ipsi inepti. Sed quando temporis
exiguitate prohibeor, & hac ipsa res vix
vna hora commodè pertractari absoluiq; po-
test: differam eò usq; dum prius inuentu-
tem scholasticam in ijs, quæ dixi progym-
nasmatibus, & in hac Rhetorica palastra, præ-
exercitauero.

Te verò **FILI DEI**, Iesu Christe,
seruator humani generis, verbum æterni
patris; cuius ore **DEVS** ad patres nostros
locutus est; & voluntatem ac mentem su-
am erga nos patefecit: te oro, rogo, obsecro,
Orator summe, & eloquentissime, quo nemo
inter

inter mortales locutus est perfectius &
eloquentius : fac, ut in hac delira mundi
senecta, hac artium & linguarum studia
contra furores Sathana conseruentur : ut
earum adminiculo veritas sermonis tui il-
lustretur, & ad nostros quoque posteros pro-
pagetur. Excita quæso, & incita aliquos
Principes, qui humaniores has artes, & in
primis hoc eloquentia studium maiori curæ
sibi esse patiantur : ut quibus nos telis ali-
unde impetimur, his nos verbi tui cælestis
veritatem & patria nostræ tranquillita-
tem, legum & iuris equitatem, omnium
denique rerum, quæ ad salutem nostram in
hac vita pertinent, usum fructum tueri
possimus. Tibi soli laus sit, tibi soli
decus, tibi soli gloria, in ævum
sempiternum.

ERRATVM

A 4. Col, 2. lin. 13. lege, transmissa ac pro-
pagata, & ibid. lin vlt. l. omnes cultores,

Omnis oratio, siue sit numerosa, siue profa, siue vel ad

Præsentes ac viuos & est vel

Oratoria, & hæc proprie dicitur oratio estq; vel

Familiaris, & proprie dicitur sermo, estq; vel inter

Futuros ac posteros diciturq; Narratio, quæ aut est

Vtrosq; vocaturq; doctrina seu Institutio; & hæc est vel de RE

Demonstratiua, siue popularis Quo pertinent etiam Poetarum

Deliberatiua seu Senatoria

Iudicialis, siue forensis, & hæc vel est

Præsentes, vt Dialogus, Ecloga, Comoedia, Tragedia

Absentes, vt Epistola.

Vera, vt HISTORIA, qualis Herodoti, Lini, Casaris, Salustij, Thucydidis, Lucani, Siliij Italici, & Græcorum.

Ficta, vt FABULA: qualis Homeri de bello Troiano, Virgilij, de bello Aeneæ & Turni.

Publica, vt sunt libri Platonis, Ciceronis, Aristotelis, Aeliani, Vergetij, Xenophontis.

Domestica, vt est Oeconomicus Xenophontis, de venatione, Item libri Columellæ, Virgilij, & Hesiodi, Oppianus, & similes.

Præparata, nempe de instituenda & informanda vel nostra

Oda
Elegia
Satyræ
Epigrammata &c

Siue sicut personis publicis, siue privatis, modo siue vniuerso, quocumq; loco: vt Epithalamia, Epitaphia, Propemptica, Panegyrica &c.

Coniecturalis.

Iuridicialis, & hæc iterum vel

Absoluta, Quoerentia, Pertinentia, quædam, Satyræ, Assumptiua.

Vita ac moribus, quo pertinent Plato, Aristoteles, Xenophontis, Cicero, Seneca, Plutarchus, Teogais, Phocylides, & similes.

Mente in contemplatione vel

Numerorum, vt in Arithmetica, Figurarum, vt in Geometria, Cæli, vt in Astronomia, Naturæ, vt in Physica, Medicina, Legum, vt in Iuris prudentia, Dei & rerum diuinarum, vt in Theologia.

Oratione ex arte.

Grammatica, Dialectica, Rhetorica,

Voce, ex arte Musica.




47528
X 200 1658

Millefolij
Semperuiui
Samedryos
Centaurij
Fragaria
Tethrait
Quinquefolij an. ꝛ iiij ꝑ.
Rad: Maluanisci
Cymini
Myrtian ꝛ iiij
Foenigraci
Vrtica
Violaria
Fol: Papaueris nigri
Mentha Saracenicæ
Mentha Crispa
Polytrichi
Lapatij
Carduncelli
Matrisyluæ
Maturella
Herbæ muscata
Alleluia
Lingua ceruina
Camphora

quod
vnam
tato no
posito
vnguen
paraturo
potest,
pellatione
que recentia
aut vsurpata
ris seculo ple
fuerint vsita
ta opinionu
fuit. Codic
racum non
marise, qu
Herbam
res omnes S
esse persica
Iosis, acrim
in qua etia
Cordus, &
di eam se
Ego tamen
statuere non
enim S. Maria
quale





ORATIO
DE EXERCITIATIONIBVS
ORATORIIS ET POETICIS,
ad imitationem veterum, rectè
vtiliterq; instituendis.

Recitata à

NICODEMO FRISCHLINO,
in Academia Vuitebergensi.



VVITEBERGÆ
*Ex Officina typographica Cle-
mentis Schleich, 1587.*

